

Q. D. B. V.

11. / 10

DE

1777 5°

# IVRE POSTVMI IN FEVDO.

---

P R A E S I D E

IOANNE CAROLO GEBHARDO  
REINHARDO D.

IVR. FEVD. PROF. PVBL. IVDICII PROVINCIALIS  
IN MARCHIONATV LVSATIAE INFER. ET FAC.

IVR. VITEB. ASSESS. ORD.

d. XXI. Martii A. R. S. MDCCCLXXVII.

h. l. q. c.

P V B L I C E D I S S E R E T

CAROLVS GVSTAVVS OBERKAMPF  
DAERVNENSIS.

---

VITEMBERGAE

TYPIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.

9 0 5 A  
D  
LAE POSTVM IN HERDO

PRAESES  
JOANNES CAROLO GERMARO  
REINHARDO D.

LAE PBM DEDICAT IACOBUS GERMARO  
IN MECOMONIA UTAUTA  
S. C. 1741

S. X M B M V M S.


5 4 4 .

COLLECTOR. EISERSEN

CAROLVS GASTAVVS OBERHART

INDIVIDUUM

SCIENTIA HISTORICA CHAMBERSIENSIS



§. I.

*E* postumis acturus, cum iam scribendi sit opportunitas, nolo quidem eorum varia inter varias gentes, barbaras cultasue referre fata, nec diuersa eorum exponere iura, quae quidem sub Regibus Romanis et his electis, primis reipublicae seculis, penitus fere neglecta, sensim imperatorum praeципue auctoritate stabilita sunt et adaucta, neque etiam diuerfas eorum species, quas acuta ICtorum aequitas, cum natura nouas properaret edere formas, inuenit, enumerare, neque tandem vsum proponere totius rei hodiernum, in his memor, omnibus ICtos magni nominis mihi fecisse otium; potius materiam proposito congruam non tritam centiesque recoctam, sollicite cum quaererem, postumorum iura in feudo anquirere statui apud animum. Mirabar initio, neminem quantum equidem scirem, hocce ante me cepisse consilium, doctrinam, ratus, non esse omni disquisitione indignam; sed rem cum postea susciperem, ipsiusque ambitum, vel fines potius angustos paullo accuratius peruestigarem, ipse, non admō-

A 2 dum



dum fertilem me colere agrum, sed sterile aliquantulum litus  
arare animaduersti. Non tamen hasce pagellas vna litura esse  
inducendas, sed illas, occasione esse satis idoneas, existimauit.

§. II.

Odium, quod prope fero moleste, statim in limine con-  
traho eorum, qui partum post diem patris supremum editum  
non postumum, sed cum aspiratione posthumum, quasi post  
humationem patris natum, scribi volunt, sententiae praesidi-  
um in MARONIS versibus <sup>a)</sup>)

SILVIVS, Albanum nomen, tua postuma proles:

Quem tibi longaeuo serum Lauinia coniux

Educat filius regem, regumque parentem:

quaerentes: Postuma scilicet, inquit cum Caesellio apud CEL-  
LIVM <sup>b)</sup>), proles non eum significat, qui patre mortuo, sed qui po-  
stremo loco natus est, sicut Sylvius qui Aenea iam sene tardo  
seroque partu est editus. Parum, quantumquidem video, lo-  
cus ille Virgilii aspirationi fauet. Siue enim Silvius viuo Aenea  
sit natus, quod omnino Virgilius verbis tibi longaeuo videtur  
indicare, siue etiam ipso mortuo, (quis enim, vt cum LIVIO <sup>c)</sup>  
loquar, rem tam veterem pro certo affirmet?) rei consentanea  
est elocutio, postuma proles. Postumus enim dubio procul  
est superlatiuus contractus a voce posterus. Aliis placebat lo-  
co posterrimus postremus, aliis postumus adhibere. Analogiam  
huius contractionis habemus in verbis extumus, citumus,  
intumus, vltumus. Denotat et eum qui postremo natus est lo-  
co, vti in PLAVTI Atlularia <sup>d)</sup> et natum post obitum parentis.  
Ineptam esse vocis aspirationem, vt deseram argumenta a BRIS-

SONIO

<sup>a)</sup> Aeneid. VI. v. 763 seqq.

<sup>b)</sup> Noct. Attic. Lib. II. Cap. XVI.

<sup>c)</sup> Libr. I. Cap. III.

<sup>d)</sup> Act. II. Scen. I. verf. 40 seqq.



6

SONIO<sup>4</sup>) VICAT<sup>5</sup>) aliisque, congesta, scilicet nec scribia Graecis πόσθεμος, neque hanc scribendi rationem in veteribus Liuii codicibus, neque in Pandectis Florentinis esse obuiam, orthographiae nostrae hanc saltim addo defensionem. Notum est multis antiquissimis temporibus Postumi suisse praenomen, postea cognomen. Iam autem VARRO<sup>6</sup>), sic ab aliis, inquit, rebus cum duo essent Terrentii, aut plures discernendi caussa, ut aliquid singulare haberent, notabant, forsitan ab eo, quod qui mane natus diceretur, ut is Manius esset, qui luci, Lucius, qui post patrem mortuum Postumus. Non autem in nummis et marmoribus sculptum legitur aspiratum hocce praenomen, nec tamen probabile morem scribendi a vocis origine plane recessisse, deinde certo certius est, vel illos, qui post conditum testamentum nascerentur, vocatos esse promiscue postumos cum iis, qui post patris mortem de uxore nati fuerint<sup>7</sup>). Ἐτυμον vocis si esset humatio parentis, cuius deriuacionis vix aptum reperietur aequale exemplum, quomodo, quaelo, posset haec locutio priori congrua esse notioni.

§. III.

Iura postumorum exposituro, quid per postumum intelligam, praestruendum esse arbitror. Quaerendo definitionem adaequatam et in legibus et in interpretibus operam perdidit. Descriptio **CAII<sup>i</sup>**) postumi, inquietis, appellantur hi, qui post patris mortem de uxore nati fuerint, et illi, qui post testamentum factum nascuntur, praeterquam quod copularia vel no-

A 3 *Paula copulatua vel po  
potius*

e) de V. S. sub hac voce.

f) Vocabulario Iuris sub voce eadem.

g) Libr. VIII. de LL.

h) Inst. Libr. II. Tit. III. §. 2.

i) loc. cit.



potius disiunctiva, angustior est definitio. Excluduntur enim postumi ciuiles, qui quasi agnascuntur v. g. qui post conditum testamentum vel arrogantur vel legitimantur, nec melior est VLPIANI<sup>4)</sup> definitio, quippe quae iisdem laborat vitiis. Re penitus perspecta definitionem postumi omnibus numeris ab solutam et omni fictione iuris adaequataam reddi vix posse arbitror. Et quid sane opus sit, non video, cum quasi postumus genere plane non comprehendatur, sed fictione iuris pro tali habeatur, vt particularia quasi plerumque rem non esse veram speciem, sed diuersam habere indolem indicat. Exemplum est in quasi dominio, quasi usufructu, quasi contractu. Sit igitur Postumus natus ex vxore post obitum parentis et quasi postumus, cui leges per fictionem iura postumi tribuunt.

#### §. IV.

Iura postumorum in feudis sunt ipsis feudis multo recentiora. Primis enim temporibus cum fundi adhuc darentur militibus stipendi loco, haec beneficia erant quoquis tempore reuocabilia, neque in illis villa dabatur successio<sup>5)</sup>. Iam vero postumorum ius praecepue in successione consistit, ergo ius illis erat in feudo nullum vel admodum exiguum. Haec postumorum in feudorum infantia conditio parum melior erat in ipsorum adolescentia. Cum enim postea filiis data esset ea lege successio, vt Domini esset electio, in quem ex filiis militis vellet conferre beneficium, rarius sane haec successio postumo, si cum fratribus concurreret, contigit, cum Domini dubio procul misero imbecilli robustiorem et ad officia militaria aptiorem praeferrent. Postea vero filiis cum esset in feudo

k) L. 3. §. 1. D. de iniusto, rupto, irrito facto testam.

l) 1 Feud. 1.

\* \* \*

do diuisibili aequalis data successio, postumi ius iure fratrum  
non fuisse inferius, tam certus sum, quam qui certissimus.

### §. V.

Sententiae huic vt robur adiiciam, consugio ad mores  
maiorum vnicum et genuinum huius rei fontem. Germanis  
enim nullum inter postumos et viuo natos parente fecisse di-  
scrimen, ex vtroque iure prouinciali et feudali facillime pro-  
batur. Extant iure prouinciali Saxonico <sup>m)</sup>) haec verba:  
*Nun vernembt, ein Weib, die ein Kind trägt nach ihres Mannes Tod  
und die sich beehrhaftig beweiset zu der Begräbniß, oder zu dem  
dreyßigʃten, wird das Kind lebendig gebohren, und hat die Frau des  
Gezeugniß an vier Mannen, die das gehöret haben und an zweoen Wei-  
bern, die ihr hülfen an ihrer Arbeit, das Kind behält des Vaters Erbe  
und stirbet es darnach, so vererbet es das auf die Mutter, ob sie ihm  
ebenbürtig ist und bricht alle Gedinge an des Vaters Lehn.* Apparet  
ex his verbis, quae fere eadem leguntur iure prouinciali Ale-  
mannico Cap. LI. postumum et ad hereditatem patris et ad  
feudum esse vocatum, modo si partum non esse supposititium,  
constaret. Clarius adhuc, quod ad successionem feudalem  
res ex ponitur iure feud: Saxonico <sup>n)</sup>) verbis. *Wenn ein Sohn,  
der nach seines Vaters Tode geborn wird, so lange lebt, daß man  
seine Stimme gehören mag in den vier Wänden des Hauses, so ist er be-  
erbet mit seines Vaters Lehn.* Eadem probat ius feudale Ale-  
mannicum <sup>o)</sup>). Desideratur quidem ibi ἀπόδοσις, prono tamen in-  
de fluit alueo, successionem competuisse postumo, cum alias,  
vt testimoniis fraudi obex poneretur, non fuisse necessarium.

Prae.

<sup>m)</sup> Libr. I. art. XXXIII.

<sup>n)</sup> Cap. XX.

<sup>o)</sup> Cap. XXXIX.



Praeterea postumos ad successionem peruenisse historia exhibet exempla. Nolo prouocare ad successionem Ladislai IV. Regis Hungariae et Bohemiae, postumi Alberti II. Imperatoris, cum eius ius forte magis a matre Elisabetha Sigismundi filia alii, alii ab electione deriuare malint, litteras vero inuestitrac, quas exhibit SCHILTER<sup>p)</sup> mentionem facere operae pretium esse arbitror. Inuestit Rupertus I. Elector Palatinus anno 1389. defuncti Vasalli fratrem antea simul inuestitum ad dens haec verba; doch mit Behältniss dieweil das obgenannter Johann von Erampurg Wittbe izund mit ein Kinde get, demselben Kinds sines Rechts an dem obgenannten Lehn, deinde vero et matrem nomine postumi inuestiuit his verbis: *des hat uns gebethen Virturtel desselben Wittbe, dass wir ihren Kindern, damit sie izund get, ob sie die gewinuet dieselben Lehen lichen wollten &c.* Ad ius feudale Longobardicum quod attinet, neque illud postumos deterioris fuisse conditionis probat, potius filios alius habiles omnes sine discriminē ad successionem vocat<sup>q)</sup>.

#### §. VI.

His praemissis, quid sentiendum sit de opinione eorum, qui postumos olim a successione feudali fuisse exclusos, autument, illico appetet. Nituntur quidem exemplo Henrici, comitis Alsatiæ, prouocantes ad testimonium fragmenti historici ad ann. 1238. vbi haec verba leguntur. Henricus comes prouincialis Alsatiæ decedens sine herede feuda plurima, quae tenebat ab Imperio et Episcopatu et ab aliis ad dominium suæ proprietatis sunt reuocata, quia frater eius in ipsis feudis nihil iuris habebat, et vxori eius nihil aliud remansit, nisi pau-

ca

p) de inuestitura similit. princip. Cap. II. §. 4.

q) I. Feud. 8. II. Feud. 50.

ca praedia, quae eiusdem erant, quae paucum tempore post enixa est filium. Fateor hunc locum mihi excitasse dubium, cum si Henrico vidua pepererit postumum, huius vel ius exulare, vel ipse, quominus iure aperturae feuda ad dominium redirent, impedire debuisse. Sed salua res est. Quod si enim fidem fragmenti Vrthisiani nulla ratione vellemus reddere dubiam, exinde tamen postumum Henrici et postumos illa aetate ubique a successione feudali fuisse exclusos, male eritur. Filium enim, cuius mentionem facit fragmentum, Henrici fuisse postumum non constat, neque Landgrauios Alsatiae recentiores, quorum monumenta et diplomata reperimus <sup>7)</sup>), sanguinem traxisse ab ipso postumo, memoriae mandatum vlibi legimus, potius illos Sigebertos Vlricos aliquosque variis nominis vel ex fratre vel ex postumo descendisse contendit OBRECHT. Fratrem illum successione in feuda nonnulla Henrici fuisse priuatum, non miror. Obtulerat Henricus nonnulla praedia ecclesiae Argentinensi ea conditione, ut pro se et filiis ex legitimo matrimonio progenitis atque in subsidiu filiabus inuestiretur. Chartam exhibit idem LAGVILLE <sup>8)</sup>). Haec feuda fratre licet superflite redisse ad dominium directum, ratio successionis feudalnis suadet. Qua ratione

<sup>7)</sup> Vid. PFEFFINGER ad Virarium Tom. II. p. 618 seqq. et OBRECHT Prodr. rerum Alsat. Cap. XII. §. III. LOVIS LAGVILLE dans l'histoire de la Province d'Alsace Liv. XIX.

<sup>8)</sup> Preuves de l'Histoire d'Alsace p. 35 seqq.



tione autem postumus ab his feudis contra ipsam inuestiturac legem potuisset repelli, extricari vix poterit. Deinde locus ille, feuda ad dominium reuocata consolidata mansisse, neque postea postumum, cum de eius vita constaret, iis non fuisse inuestitum non probat. Quae cum ita sint, et cum per mores Germanorum supra collectos postumi tunc temporis in feuda omnino succederent, vel fabulam nobis obtrudi, vel locum male forte ex manuscripto Codice lectum<sup>1)</sup> non melius intelligi arbitror, vel filius, quem vidua enixa est, Henricum non habuit patrem, vel aliud impedimentum corporis animiue ipsum a successione propulit, vel denique in ipso partu e vita migrauit. Quicquid sit, postumum illum Henrici si quis unquam vixit, propterea, quod lucem non viuo aspergit parente, a successione esse repulsum, fides historica deest neque vlla, mores seculi XIII. postumorum improbabile sucessionem, adsunt vestigia.

### §. VII.

Vindicato igitur iure postumorum legitimorum, iam quid de illis quorum dubius pater sentiendum sit, exponam. Minor profecto, iura nostra Germanica, cum suspicio non sit nationis genius, tantam curam et circumspectionem in explorando partu postumo suasisse. Inscrifitur Cap. LI. Iur. prouide Postumis agens *von argwöhnigen Kindern*. Probo hanc inscriptionem, cum vocem postumi qui velit uno verbo reddere in

verna-

<sup>1)</sup> conf. VOSSIUS de Hist. lat. libr. III. Cap. III.

vernacula, quale quid **CELLIO**<sup>u)</sup> intuitu πολυπραγμοσύνης  
 accedit, haereret, ingenueque ne pluribus quidem verbis se  
 posse obscurissime dicere, quod a Latinis perfectissime uno  
 verbo et planissime dicitur. Nec sane raro temere in viduam,  
 postumorum, sicut et opera eruditorum postuma aliquantulum  
 sunt fidei sublestae, cadit suspicio, vel partum plane esse sup-  
 positum, vel saltim post mariti obitum conceptum, cum spem  
 lucri homines haut raro corruptelarum illecebris irretire vi-  
 deamus, et criminum occultorum, quae rarius poenarum  
 coercentur atrocitate, sit summa omnino frequentia. Pro-  
 spexit vtrique fraudi vel potius prospicere voluit, ius prouin-  
 ciale Saxonum praeципiens initio *dass das Weib zu der Begräb-*  
*niss, oder zu dem dreißigsten sich beehrhaftig beweise, manifesto*  
 indicio, vt, nisi statim primo post obitum mariti mense, signa  
 indicentur grauiditatis, indicium sit, partum non esse postu-  
 mum, sed ex postumo concubitu conceptum. Introducitur  
 deinde peculiaris probationis forma. Exigitur scilicet, exi-  
 stente partu viuo, *das Zeugniß von vier Mannen die das gehöret ha-*  
*ben und zweier Weiber die ihr hülfen an ihrer Arbeit nimirum,* vt  
 ne puerperium, quod nostra interdum aetate pro obtainenda  
 pecunia lustrica contingit, affectetur et foetus supponatur  
 alienus. Suboritur dubium quid compilator intellexerit per  
 verba, *die das gehöret, vtrum illa ipsa testimonium exigunt de*  
 auditu, praegnantem esse viduam, an potius, partum vixisse.

B 2

Col.

u) Noct. Atticis Libr. II. Cap. XVI.



Collato hoc textu cum capite XX iuris feudalis Saxonici, videtur opus fuisse, quatuor testes masculos audiuisse vagitum partus sanguinolenti. Aequo ius Alemannicum feudale <sup>v)</sup> rem exprimit ita, *der also lange leben, daß man seyne Styme höret.* Sed huic consuetudini fere irrationali standum non esse autumo. Sufficit enim viuum fuisse partum, quamvis forte mutus nascatur, modo illius vita ex aliis signis haud ambiguis, motu cordis, vel membrorum, vel anhelitu colligatur. Praxim huius rei testatur CARPOVIVS <sup>x)</sup> et STRYCKIVS <sup>y)</sup> et praecaudiciis confirmant. Praeterea hodie cum ex sanctione CONST. XXVII. p. I. ordo iudicarius iure Saxonico communii introductus abrogatus et causae feudales quoad processum causis allodialibus sint exaequatae, neque obstetricum nec quatuor masculorum testimonio esse opus, sed sufficere probationem ordinariam, dubium non est, quamvis de successione in feudo sit sermo.

### §. VIII.

Incido iam in quaestionem, num, si vidua Vasalli se prae-  
gnantem esse contendat, ventris inspectio et custodia partus  
adhibitis omnibus solemnitatibus Praetoris Edicto <sup>\*</sup>) introdu-  
ctis sit instituenda. Dubitat de vnu edicti hodierno SCHIL-  
TER.

<sup>v)</sup> Cap. XXXIX.

<sup>x)</sup> P. III. Cap. 17. def. 19.

<sup>y)</sup> de Successione ab intestato Cap. II. §. XIV.

<sup>z)</sup> obuio I. I. §. 10. D. de insp. ventre.

TER<sup>aa)</sup>) solam, ratus, denunciationem sufficere neminemque debere instruere aduersarium, nixus textu Iuris prouincialis Saxonici, a nobis saepius excitato, cuius verba *sich beeरhaftig beweisen* de sola denunciatione explicat. Huius quidem sententiae quod ad postumum Vasalli eo lubentius calculum adiicio, partim cum iuris Romani ad quaestiones feudales applicationem penitus incongruam purem, partim cum longe dispar sit successionis feudalnis et allodialis ratio. Metuenda est matris fraus intuitu allodii, quia, si postumus decedat intestatus, ipsi est heres, cum e contrario conseruatio feudi paterni eo casu si postumus improlis moriatur, matri plerunque nihil afferat commodi. Sedulo nihilosecius successoribus feudalibus vigilandum esse appetet, ne forte Vasalli vidua spurio partu ipsorum spem vel differat vel plane euertat. Haec, quam protuli, quaestionem aliam gignit, vtrum scilicet partus decimestris vel vndecimestris ad successionem feudalem sit admittendus. Nolo hic more interpretum praeteritorum seculorum sanctiones ex iuribus peregrinis rei propositae plane incongruas excitare. Ius praeccipue Romanum quid hac de re caueat vel dupondiis notum est, et qui elegantia hac de re cupit, adeat GELLIVM<sup>bb)</sup>). Silent hanc rem leges feudales. Ergo forte decisio ex iure Romano in subsidium erit repetenda? Tantum abest, vt tanta sit, quicquid sentiat OBERTVS<sup>cc)</sup>,

B 3

legum

aa) Exerc. ad Pand. XXXVI. §. 125 seqq.

bb) Noct. Attic. Lib. III. Cap. XVI.

cc) II. Feud. I.

\* \* \*

legum Romanarum auctoritas ut vbi cunque sit decisionis in iure clientelari defectus, ad hoc oraculum sit confugiendum, quamvis omnino usum huius iuris dogmaticum in iure feudali non plane improbem. Rem eo redire arbitror. Ut descendens succedat in feudo, opus est, ut sit ex legitimo natus matrimonio, per masculos iunctus et ad seruendum habilis. Ita enim inuestiuntur Vasalli et inuestitura est successionalis, ut ita dicam, ab intestato, prima lex, *für sich und seine ehelich gebohrne männliche Leibes-Erben.* Vi ipius inuestitiae parentis, sub qua iure Saxonico, vbi collateralium deficit ex iure sanguinis successio, comprehenditur filius <sup>dd)</sup> ipse, imo et auiaticus seu nepos admittitur. Successio igitur desertur Vasalli postumo, quatenus manifeste constat, illum ex legitimo Vasalli toro esse ortum. In dirimenda autem, vtrum postumus sit vera Vasalli soboles, lite, omnino consulendas naturae regulas matrisque indagandos esse mores, arbitror. Iam vero *PLINIO* <sup>ee)</sup> teste, ceteris animantibus statum et pariendi et partus gerendi tempus est, homo toto anno et incerto gignitur spatio. Alii nascuntur serius, ocius alii, et praetorem L. Papirium secundo herede lege agente bonorum possessionem contra eum dedisse, cum mater partum se XIII mensibus diceret tulisse, quoniam nullum certum tempus pariendi statutum videretur, idem Plinius Massurius fecitus, auctor est. Haec sane non attuli *ca mente,*

<sup>dd)</sup> Cap. *Iur. Feud. Sax.* VI. *Lehrs-Mandat* de ao. 1764. Tit. VII. §. 3.

<sup>ee)</sup> Hist. nat. lib. VII. Cap. V.

mente, ut Praetoris sententiam, non idoneis nixam rationibus, comprobarem, potuisset enim ita non decimestri sed decennali bonorum possessionem largiri, sed ut saltim non fixum habere terminum naturam, ideoque Iudicem, qui vellet postulum serius aliquantulum editum quasi illegitimum absolute a successione arcere feudali, matri afferre ignominiam, partui iniuriam dicerem. Decimestrem igitur a tempore probabilis conceptionis iura legitimi habere non ius solum Quiritium, sed ipse usus, ipsa sana ratio et lex naturae suadent. Admittatur igitur ad feudum paternum imo si initio undecimi nascatur, nisi forte praui viduae mores vel defuncti absentia vel imbecillitas dubiam reddit matris fidem. Finge viduam in turpi compressu statim post mariti obitum quaevisisse solatium, illam fuisse deprehensam, defunctum per semestre spatium iacuisse ante mortem morbo prostratum, vel fuisse peregre ita profecto, ut praesumtio iuris et de iure eo casu nec prodest in matrimonio nato, ipsius progenies siue decimestris siue undicimestris iure omnino postumi merito carebit.

### §. IX.

Longe autem diuersa est postumorum ad successionem feudalem idoneorum qualitas ab ea, quae in herede postumo consideratur. Ut enim postumus iure Romano haberet ius patri succedendi eiusque rumpendi testamentum, nil nisi, ut sit legitimo tempore et ab uxore natus, exigebatur. Iure vero



vero feudali postumus si vitio laboret naturae vel corporis vel  
 animi, nihilosecius, quamuis sit legitimus, ad successionem  
 est prorsus inhabilis. Ita postumos furiosos et mente captos  
 coecos, mutos, surdosque ostenta *alzwielt*<sup>f)</sup> quibus annu-  
 mero hermaphroditos a successione esse repellendos et tantum  
 alimentis leuandos, quis est qui dubitat. Pariter filiam,  
 quam mores olim Germanorum miseram ab hereditate pare-  
 ntu, nisi frater decesset, repellebant<sup>gg)</sup> a feudo paterno, nisi  
 ipsius indoles admittat feminas excludimus postumam. Na-  
 scituro enim non plus posse iuris attribui, quam ante parentis  
 obitum nato, sana ratio praecepit. Poterit tamen filia Vasalli  
 postuma et a successore feudalii siue frater sit siue extraneus ali-  
 menta exigere, existente nubendi conditione, dotem efflagi-  
 tare, gaudet dubio procul intuitu dotis hypotheca tacita, iu-  
 reque praelationis praec fratribus creditoribus<sup>hh)</sup>, ex pretio feudi  
 nouiter acquisiti ceteris paribus legitimae poscit augmentum,  
 imo, quamvis feudum paternum sit masculinum, ipsaque a  
 successione exclusa, quod profecto Legislatoris Saxonis sum-  
 mum est beneficium, simultanee inuestiendos, spatium nisi esset  
 patri praeterlapsum, commendare vel ut technice loquar, prae-  
 sentare. Nasciturus enim pro nato habetur, quatenus de  
 ipsius sermo est commodo. Ac ne cui forte, ipse fictiones  
 Romanas vocare in subsidium videar, hoc illud aequissimum

prin-

*f)* per text. *Iur. prou. Sax.* libr. I. art. IV.

*gg)* *Ius prou. Saxon.* libr. I. art. XVII.

*hh)* O. P. R. Tit. XLV. §. 13.

principium ex ipsa sana ratione deriuandum esse arbitror. Ius enim naturale nullum inter nasciturorum ius et natorum statuit discrimen, imo diuersitas non sita est in ipsa ventris vel nati indeole sed in easu plane extraneo, patrem scilicet vel esse superstitem vel praematura morte praereptum, qui successoris vel reliquorum iurium, quibus postumi gaudent, faciem plane non potest mutare.

### §. X.

Vassallus pater si de feudo per testamentum disposuerit, et hoc suo hodie iure facit, quatenus ius Domini vel simultanei inuestitorum non laeditur, siue id cum consensu ipsorum, siue inter liberos, siue ex lege inuestiturae fiat, quaeritur num, si postumus prodierit, testamentum paternum ruptum sit. Sola si sit dispositio paterna, quae filiorum institutionem non contineat, sed ad eos ab intestato directa sit, illam non rumpi agnatione postumi contendit LYNCKER <sup>4)</sup> et praeiudicio confirmat. Testamentum vero parentis, quo postumum praeterit, et si praeter feudum nihil relinquat omnino rumpi, dubio caret. Decisio enim huius quaestioneis plane non ex iure feudalii sed ciuili est repetenda. Quemadmodum scilicet ius Germanicum antiquius testamenti factionis, si excipias illas gentes, quae Lares in Italia posuere, plane fuit ignarum, ita si for-

<sup>4)</sup> Rebus decis. cas. CCCXXI.



si formam testamenti heredumque qualitatem et institutionem ex iure velles addiscere feudali, operam perderes. Quaestiones igitur, Vasalli testamentum, qua forma sit condendum, quinam sint instituendi ex iuris necessitate, vel exheredandi, quibus debeatur legitima <sup>kk)</sup> et quaenam haec sit portionis ab intestato pars, quis testari, quis inter testes esse prohibeatur, ambitum iuris feudalis non tangunt, sed eius limites egreduntur. Quae cum ita sint, si copiosius peregrinam hanc rem pertractarem, rem actam centies agerem et iter propositum derelinquerem.

### §. XI.

Potius me iam missis hisce ad iura postumi intuitu simul inuestiti et expectatiuarii conuento. Postumum Vasalli ius excludere vtriusque nemo forte inficiabitur. Illius enim successio, extincta demum Vasalli prole, existit et expectantia vel latinius expectatio conditionem, si feudum fuerit domino apertum, continet. Varia tamen hic occurrunt, quae disquisitione nostra non erunt indigna. Filia si nascatur postuma, vel masculus ad succedendum ob vitium quoddam inhabilis, non monstrosus solum partus, qui plane iura hominis non habet <sup>ll)</sup> spes expectatiuarii et simultanea inuestiti plane non euanevit.

Sufficit

<sup>kk)</sup> Notabilem de legitima postumi a Vasallo praeteriti casum exhibet LYNCKER libr. all. No. XXX.

<sup>ll)</sup> de Postumo monstroso agit STRYCK de Successione ab intest. Diff. I. Cap. II. §. XIX.

Sufficit enim, si feudum respicias proprium, masculam Vasalli prolem esse extinctam. Quid vero si postumus Vasalli prodierit viuus ad succedendum habilis, qui statim inter manus ob-stetricum decederet. Hanc rem agitatam quod expectatiuarios attinet legimus iuribus antiquis supra excitatis. Expressitur iur. feud. Sax. <sup>mm)</sup> his verbis: *Wenn ein Sohn, der nach seines Vaters Tode geborn wird, so lange lebet, dass man seine Stimme gehören mag, in den vier Wänden des Hauses, so ist er heerbet mit seines Vaters Lehn, dass also alle die so zuvorn Gedinge und Anwaltung an dem Gute hatten, daran gebrochen seynd.* Quid hac de resentiam, breuibus exponam. Ius simultaneae inuestiturae agnatione postumi non perimitur, quicquid sentiat ZOBE-LIVS <sup>nn)</sup> potius si e vita discedat, nec alia supersit Vasalli proles, in ipsos dubio procul beneficium deuoluitur <sup>oo)</sup>). Ad expectatiuarios vero quod attinet, verba concessionis probe erunt examinanda. Conditio enim quae adiicitur expectantiae vel est generalis. v. c. si feudum mihi aperiatur, vel specialis. e. g. si feudum ob feloniam, vel ob defectum successorum aper-tum fuerit, vel si Vasallus possessor sine prole decebat. Conditionem si continet generalem expectatio, agnatio postumi non obest, modo si per obitum ipsius feudum aperiatur. Quare cautelam expectatiario commendat HORNIUS <sup>oo</sup>) hanc, ut litteras in amplissima forma vel terminis generalioribus

## C 2

ribus

<sup>mm)</sup> Cap. XX.<sup>nn)</sup> ad di<sup>ct</sup>. Cap. XX.<sup>nn)</sup> SCHILTER ad ius Alem. Cap. XXXIX. §. 2.<sup>oo)</sup> Iurispr. feud. Cap. XII. §. IX.



ribus conscribendas curet, cui quidem sententiae adiicerem  
calculum, si ab eius, non Domini penderet arbitrio, quem  
velit esse modum beneficii. Specialis vero si litteris compre-  
hendatur conditio, Vasallo sine prole decedente, expirat  
omnino expectantia. Argumentum enim ex l. 3. C. de Inst.  
et Subst. et l. 24. pr. D. de vulg. et pupill. ex quibus in mate-  
ria substitutionum casum interdum non expressum sub expresso  
continere apparet, vum habet, vt HORNIVS <sup>pp)</sup> iam vidit,  
probandi nullam, cum partim si vel ius Romanum possemus  
admittere, alia sit ultimas voluntates, alia conuentiones in-  
terpretandi ratio, partim iura domestica expresse expectativa-  
rum interitum eo casu praecipiant. Cum spectris videtur pu-  
gnare SCHILTER <sup>qq)</sup> resoluens dubium quod forte neminem  
vñquam excruciauit, num forte exiguum illud tempus, cum  
minima non curet Praetor, plane non sit curandum. Eius  
argumentis vnicum addo non esse scilicet cur dubitetur, cum  
expressae adsint legum feudalium sanctiones. Maior forte ad-  
erit dubitandi ratio, quaestio si moueretur num generalis ex-  
pectantia postumo edito viuo ac legitimo post eius obitum ha-  
beat effectum. Generaliter enim rem expressit Compilator  
iur. feud. Sax. et prou. <sup>rr)</sup> verbis: *dafs also alle, die so zuvor  
Gedinge und Anwartung an dem Gute hatten, daran gebrochen seynd  
porro und bricht alle Gedinge an des Vaters Lehen. Wenn es lebet,*  
nach

<sup>pp)</sup> loc. all.

<sup>qq)</sup> ad Cap. iur. Alem. XXXIX. §. I.

<sup>rr)</sup> libr. I. art. XXXIII.

nach des Vaters Tod, so werden die Lehen und Geding des Herrn dieser jemands am Gut gelichen, dann wieder los und ledig et ita forte omne nihil excludere videbitur? Tantum abest, vt eum esse verborum sensum largiamur vt potius verba duntaxat de omni expectatione sub conditione si Vasallus sine prole moriatur, esse intelligenda arbitremur. Conditio enim si feudum mihi aperiatur, de consolidatione vtriusque dominii quacunque ratione contingente est explicanda et existit, postumus si diem obeat supremum, alia nisi supersit Vasalli soboles, ad successionem idonea.

### §. XII.

Postumus si sit institutus simul in feudo, pono nimirum, leges hunc conatum non improbare, postumoque extraneus substitutus, quaeritur num substitutus, si vel vidua non existat praegnans vel abortum fecerit, vel monstrum pepererit, feudum habeat. Est haec, quod successionem ciuilem attinet, famosa illa inter ICtos L. Crassum et Mutium Scaeuelam agitata controuersia cuius mentionem facit CICERO <sup>xx).</sup> Obtinuit sententia illius affirmans. Hanc quidem opinionem et hodie defendendam esse arbitror, quia constat voluntatem loquentis motam fuisse consideratione non exiturae prolis <sup>xx).</sup> Feudum non mutat rei faciem. Legem enim si facit, quod

C 3

suppo.

<sup>xx)</sup> de Oratore Libr. I.

<sup>xx)</sup> vid. GROTIUS de iure belli ac pacis Libr. II. Cap. XVI. §. XX. n. 3.



suppono, Vasalli voluntas, illa aequali ratione est explicanda,  
sive declarata sit de feudo sive de allodio.

### §. XIII.

Iam coronidis loco disquiram postumo num competant  
reliqua iura, quae filii in feudo indulgent leges. Gaudent  
filii iure protimiseos feudo a patre aucto vendito <sup>nu</sup>). Quaerit  
tur, num postumus eodem fruatur iure. Praedium si iam sit  
cum resignatione inuestiturae a patre traditum res non poterit  
esse ambigua. Cessat ius protimiseos per verba ipsius Constitu  
tionis *wenn die Güter tradiret und aufgelassen* Ante traditionem  
autem si pater diem obierit supremum, poteritne postumus  
exercere ius protimiseos? Rem fateor non extra omnem dubi  
tationis aleam esse positam. Successit postumus tanquam her  
es non in omnia iura solum per se communicabilia sed et in  
obligationes parentis. Obligatus erat ex contractu pater, vt  
feudum traderet, quid queso impedit, quominus et illa ex  
contractu in postumum transeat iuris necessitas. Praeterea  
non satis expeditum posset videri et Constitutionem laudatam  
ius indulgere protimiseos filii intuitu feudi, et illam sanctio  
nem adhuc post edictum vigere Torgauense. Quod ad prius,  
obligationem illam excludi iure filii singulari existimo. Ad  
posteriorius quod attinet Constitutionem quae sine distinctione  
loquitur de bonis auitis *von Stamm-Gütern* et ad feuda, cum  
aequalis

*nu) CONST. AVGUSTI XXXI. Part. II.*

æqualis adsit ratio, pertinere neque edictum Torgauense,  
 quod filiis solum ius adimit reuocandi tanquam legem gene-  
 ralem derogare legi speciali priori. Quae cum ita sint, ius  
 illud protimiseos filiis post fata patris Vasalli adeoque postumis  
 vindicandum esse assueramus. Pariter, vbi cunque locorum  
 filiis feudo sine eorum consensu alienato facultatem tribuent  
 reuocandi consuetudines, eadem nec poterit denegari postu-  
 mo. Exceptio enim, illum tempore alienationis nondum  
 extitisse, parum obest. Ius enim pariter ac reliqui filii habet  
 ex prima inuestitura et maiorum prouidentia. Denique felo-  
 nia a patre per parricidium perpetrata successionem filiis non  
 denegandam esse sanxit Augustus Elector <sup>vv</sup>). Finge igitur,  
 sententiam latam esse feudi priuatoriam, imo Vasallum parrici-  
 dicam vltimo periisse suppicio. Praegnantem se esse indicat  
 vidua. Poteruntne simultaneæ inuestiti illam feudo expellere?  
 Tantum abest, vt haec iuri consentanea esse statuamus, vt  
 potius viduam ventris nomine in possessionem feudi vel mit-  
 tendam vel in ea defendendam esse omnino arbitremur <sup>xx</sup>).  
 Postumum tandem simultaneæ inuestiti et expectatiuarii in


iura

<sup>vv</sup>) *Confit. XXVII. Part. III.* quam male de omni feloniam per delictum  
 in alios commissum perpetrata explicit nonnulli Interpretates. Filiis  
 enim perduellum Successionem nulla ratione possimus largiri.

<sup>xx</sup>) vid. WEICHBILD art. 94. das Weib soll man nicht weisen aus ihres  
 Mannes Gut, wenn ihr Mann stirbt, die ein Kind trägt, ehe sie des  
 Kindes genesen.



iura patris succedere, Postumo dandum esse a Domino directo Curatorem, hunc oportere, nisi velit coerceri poena arbitaria, dilationem petere, postumum nullo casu posse exheredari, cum causa exhereditationis iure Nouellarum probata, si vel intuitu feudi haec potestas patri esset tribuenda, in illum non cadat et postumum ex ventre excisum iure frui nati, iuris est expeditissimi.



**ULB Halle**  
002 265 427


3



(f) 56.







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Q. D. B. V.

DE

1777

5

# RE POSTVMI IN FEVDO.

P R A E S I D E

ANNE CAROLO GEBHARDO  
REINHARDO D.

FEVD. PROF. PVBL. IVDICII PROVINCIALIS  
MARCHIONATV LVSATIAE INFER. ET FAC.  
IVR. VITEB. ASSESS. ORD.

d. XXI. Martii A. R. S. MDCCCLXXVII.

h. l. q. c.

P V B L I C E D I S S E R E T

ROLVS GVSTAVVS OBERKAMPF  
DABRVNENSIS.

VITEMBERGAE

TYPIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.